



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt sacerdotes ad tempus orationibus vacent antequam sacrificent.
ccxxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod diuina clementia fixis in terram genibus exoranda sit, nisi in maioribus solennitatibus.

Caput CCXXXV.

Sciendū est quod exceptis diebus dominicis, & illis solennitatibus quibus sancta & vniuersalis ecclesia ob recordationem dominicæ resurrectionis solet stando orare, fixis in terram genibus suppliciter clementiam nobis profuturam nostrorumque criminum indulgentiam deprecandum est: cuius rei in Euangelio ipse dominus nobis dedit exemplum. Sed & Stephanus martyr, & apostolus Paulus eadem fecisse, liber Actus apostolorum testis est, ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter in terram prosterni, ne fortè illi dicatur: Cur superbiat terra & cinis?

Ex eodem cap. 37.

Quod non liceat mortuis osculum dare.

Cap. CCXXXVI.

Non licet mortuis osculum dare, nec palliis quæ in sacrificio super altare ponuntur, corpora eorum inuoluere, vel super feretrum ponere.

Ex conc. Agathen. cap. 3.

Vbi fideles sepeliri debeant. Cap. CCXXXVII.

Restat propter instantem, quæ tunc maxima occurrit, necessitatem ubicunque facultas rerum & oportunitas temporum suppetat sepulturam morientium apud Ecclesiam, vbi sedes est episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem aut adiacentem alicuius inopportunitatis difficultatem impossibile videatur, expectet eum terra sepulture suæ quo canonicorum aut monachorum siue sanctimonialium congregatio sancta communiter degat, vt eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat. Quod si & hoc ineptum & difficile æstimetur, vbi decimam persoluebat viuus, sepeliatur mortuus.

Ex cõcil. Triburien. cui interfuit rex Arnolphus. cap. 15.

Vt sacerdotes ad tempus orationibus vacent, antequam sacrificent. Cap. CCXXXVIII.

Ex decre.

Nam Paulus ad Corinthios scribit dicens: Abstinete vos ad tempus vt vacetis orationi, & hoc vtique laicis precepit, multò magis sacerdotibus, quibus & orandi

Innocentij papæ cap. 26.